



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Virtute Religionis, Et Ei Annexis; Continens septem Tractatus
Theologiae Moralis praecipuos. Primus, in ordine septimus, est de Oratione
... Septimus, & latissimus, de Beneficiis Ecclesiasticis

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

In impetratione beneficiorum mentio mensis, in quo vacatio contingit,
facienda est. §. 5

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76561](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76561)

gula excipiens Cardinales, excipiat Cardinales absentes à curia; Cui dubitationi vt respondeat, plura hinc inde adducit, & tandem resoluat excipere omnes Cardinales ordinarios collatores, quantumvis à curia absentes, exceptis illis scilicet Cardinalibus titularibus de Vrbe quorum Cardinalibus Episcopus annexus est. Nam horum beneficia, si vacent in absentia, sed apostolice referantur per reg. 7. Cancell. Fateor per reg. 7. Cancell. horum beneficia sic vacantia in absentia referantur. Sed hoc non obstat quominus hæc reg. 8. quæ est de mensibus, nullum Cardinalem comprehendit: stat enim optime quod nullus Cardinalis sit comprehensus in reservatione mensium, & quod aliqui Cardinales sint comprehensi in reservatione facta pro beneficiis vacantibus tempore quo à curia fuerint absentes, consentit Garcia 5. p. de benef. cap. 1. à num. 638.

10. Oportet dubitare Gonzalez à num. 153; an sicut regula hæc excipit Cardinales collatores, excipiat etiam reges, & principes, qui ex privilegio sedis Apostolice beneficia conferunt. Et breuiter concludit, bene exceptos esse ob eorum altitudinem, & supremam dignitatem, ob quam non comprehenduntur in generalibus reservationibus, sed oportere illorum fieri expressam mentionem. Consentit Garcia num. 639.

Nono dubitat Gonzalez à num. 161 cur regula dixerit *Sancta Romana Ecclesia*, siquidem videbatur sufficere dixisse *Cardinales*. Et respondet id factum esse ad distinctionem aliorum Cardinalium, qui sunt in Ecclesia Compostell. Auriens. Rauen. Mediol. Sed mihi verius videtur id factum esse ad commendandam eorum dignitatem, & excellentiam, & non ob distinctionem ab illis Cardinalibus Compostell. Auriens. & non ob id solum abusive, & improprie seu nomine tenus tales nuncupantur. Quapropter ex appositione solius verbi *Cardinalis*, absolute prolata, sufficienter Cardinales Romanæ Ecclesie ab aliis distinguuntur: cum tale nomen esse prolatum solis veris, & propriis Cardinales comprehendere, & pro illis tantum supponeret: sic Garcia 5. p. de benef. cap. 1. à 540.

11. Præter exceptionem Cardinalium Sanctæ Romanæ Ecclesie excipit Pontifex beneficia concordata, hoc est quæ ex conuenientia cum sede Apostolica libere prouidentur, qualiter sunt plura in Germ. & Francia. Hæc enim concordie nunquam censetur Pontifex derogare: quia transit in contractum; eaque de causa vt firma sit, & locum habeat debet esse acceptata ab illis quorum interest, vt contingit in omni contractu, qui acceptatione perficitur. l. *absenti*. ff. de donationib. l. *si ergo*. ff. de negotiis gestis l. *qui absentis*. ff. de acquir. possess. & alii. Vide Gonzalez gloss. 25. 26. 27. & 28. ubi late hanc materiam tractat.

§. V.

In impetratione beneficiorum mentio mensis, in quo vacatio contingit, facienda est.

1. Nulla est gratia, in qua non exprimitur mensis vacationis beneficij.
2. Modus seruandus in mensis expressione qui sit.
3. An sufficiat narrare vacasse beneficium in vno ex mensibus referuatis; Sufficit, tamen contra sentiat Garcia.
4. Sed cuius mensis an ordinarij an referuati est mentio facienda, Variant doctores.
5. Probabilius est pro solis mensibus referuatis esse intelligentiam.
6. Fit satis oppositis fundamentis.
7. Exprimendus est mensis, quoties beneficium obtinetur, si in prima gratia expressus non fuit.
8. Exprimendus est in gratia, si neutri.
9. Item si beneficium vacauerit de iure, sine de facto.
10. Item in beneficiis quomodocumque vacent, quæ alias non fuerint referuata.
11. Non est necessaria expressio mensis in beneficiis alias referuatis, neque in vacantibus per resignationem, neque in beneficiis iuris patronatus, neque in subrogationibus ad litem, neque in prouisionibus ordinariarum, neque in beneficiis ob dissolutionem impetratis.

1. Insuper Pontifex supradicta beneficia ita referuat, vt velit in eorum impetratione fieri mentionem mensis, in quo tale beneficium vacauit; alioquin inquit gratias nullas esse. Præterea enim Pontifex non præiudicare ordinariis in collatione horum beneficiorum: idcirco exposulat sibi de mensis vacationis dari noticiam: sic Put. decis. 54. num. 5. lib. 2. & decis. 25. num. 1. lib. 3. Rota decis. 724. num. 6. p. 3. diuers. & decis. 9. num. 22. p. 2. diuers. Gonz. reg. 8. Cancell. §. 4. proem. à n. 7. & gloss. 32. num. 2. Hæc autem noticia danda est in qualibet beneficij referuati supplicatione seu concessione, etiam motu proprio facta, vt expressè in dict. reg. cauetur. Quia motus proprius, tollit subreptionem, sed non supplet intentionem concedentis, nec substantialem defectum, qui committitur in taciturnitate mensis, cuius expressionem exposulat Pontifex pro valore gratiæ: sic Anton. Gabr. tit. de clausul. concl. n. 18. & seqq.

Rebuff. in concord. super forma mandat. apostol. in glossa verbo motu proprio.

2. Modus seruandus in expressione mensis debet esse certus & absolutus; si quidem ita cauetur in regula: ibi 3. *dispositiue mentionem fieri*; verbum enim *dispositiue*, est idem ac affirmatiue, absolute, & certo Mand. de signat. grat. tit. de prouisionib. col. 8. vers. *mensis mentionem dispositiue*. Garcia 5. p. de benef. cap. 1. num. 656. Gonzalez gloss. 32. num. 7. Quapropter non sufficit narrare mensis dubitatiue, dicendo forsitan vacauit in mensis referuato, vel vt asseritur in mensis referuato vacauit, Garcia sub. Gonzalez à num. 10. Quia si ex vi huius noticiæ tantum Pontifex prouideret, periculo exponeret derogandi ordinariarum prouisioni, & cuius derogationem ipse vitare intendit. Item non esset cogendus impetrans probare reservationem, vt si gratia sibi facta subsisteret, cum non in reservatione certa, sed dubia, & sub opinione posita fundaret impetrationem: quod nullo modo est admittendum, cum plene & concludenter probanda sit referuatio ab impetrante, vt potest fundamentum suæ intentionis, & gratiæ obtentæ, vt multis allegatis probat Gonzalez gloss. 11. à num. 98. Et hæc ratio probat non esse narratum faciendam per clausulas generales conditionales, vt si à pontifice peteres beneficium, quod credis vacasse tali mensis, vel si forte in alio vacauit. Quia his verbis non clarè, & firmiter manifestatur vacationem in mensis referuato, vt illam teneris probare, Ergo non satisfactis supradictæ regulæ, & consequenter gratia facta nulla est: nisi forte clarè colligatur voluisse Pontificem, non obstante prædicta noticiæ minus legitima tibi gratiam conferre; vt notauit Gonzal. d. gloss. 32. num. 15. & 16. & fauet Garcia 5. p. de benef. cap. 1. num. 666. sine.

3. Solum est dubium, an sufficiat narrare vacasse beneficium in vno ex mensibus referuatis, vel vacasse in mensis referuato, quin exprimat mensis in particulari. Garcia d. 5. p. de benef. cap. 1. num. 656. negat, neque adducit rationem: ea tamen esse potest, quia hæc generalis expressio non videtur sufficere regulæ disponenti dispositiue mentionem fieri mensis in quo beneficium vacauit. Tum quia hæc non est determinata, clara, & absoluta expressio mensis. Tum quia ex illa non cogitur probare quo mensis vacatio contingit.

Cæterum mihi probabilius apparet supradictam narrationem sufficere. Quia ex illa iam pontifici constat nullum præiudicium ordinario prouenire; quæ fuit ratio motus, vt mensis exprimeretur. Deinde cognoscit Pontifex iure reservationis sibi competere illius beneficij prouisionem, cum eius vacatio contingit in vno ex mensibus referuatis, quod vero potius inuario, quam Februatio fuerit, per accidens est ad finem intentum. Ergo plene fit regulæ satisfactio ex huiusmodi noticiæ, & ita fuit decium in vna Abulen. prælimon. 13. Iusj. 1610. coram D. Manzanedo. vt testatur ipsemet Garcia. sup. Neque ratio contraria videtur. Nego, namque hanc narrationem non esse claram, absolutam, & determinatam expressionem mensis referuati, in quo beneficium vacauit: est enim determinata mensis in ratione reservationis, esto non fuerit absoluta, clara & determinata mensis numerici, & temporalis. Sed hæc determinatio numerica non videtur necessaria. Nam per altam determinationem specificam mensis quoad reservationem sufficienter cognoscit Pontifex: an in suo, vel in ordinarij beneficij beneficium vacauerit. Probatio autem quam tenetur impetrans facere de mensis non est de mensis numerico, & irregulari, hoc enim parum vile est, sed de mensis referuato, vel non referuato.

4. Sed hucusque videmus supponere mentionem mensis faciendam esse de vacatione contingente in mensibus referuatis, cum tamen plures contrarium sentiant, vt videtur est apud Gonzalez gloss. 39. à num. 49. Alij namque affirmant, quod Gonzalez adhaeret, solius mensis ordinarij mentionem faciendam esse. Quia solum ex vacatione contingente in hoc mensis potest ordinari fieri præiudicium, cum solum pro hoc mensis prouidetur beneficium possit. Nam ex prouisione beneficij iurantis in mensis referuato, nullum illi præiudicium iurantis potest, cum in eius prouisione non se possit incommutare. At ratio ob quam mensis cauetur exprimi, est ne ordinariis eorum prouisione præiudicetur. Ergo cum hoc præiudicium solum contingere possit in vacatione mensis ordinarij, illius tantum mentio facienda est; & adducit pro se nouissimam decis. Turon. can. 24. Maii. 1602. coram D. Pamph. & decil. Acanon. boni. 70. alias §. lib. 2. & Mand. designat. grat. tit. de prouisionib. vers. *an autem in impetrat*. Alii dicunt vtriusque mensis, & referuati, & ordinarij mentionem esse faciendam referuati, quia de illo expressè cauetur in supradicta. reg. ordinarij: ob rationem supradictam, & quia referuando octo mentes, vacat quatuor ordinariis relinquit, & cum statim subreptione de dictis beneficiis tunc vacantibus mentionem mensis fieri debet, ad beneficia vacantia tam in mensibus expressis, & referuatis quam tacitis, & ordinariis referenda sunt. Adde mentionem mensis exposulatam esse, vt sciat Pontifex, an ordinarij præiudicet, vel non præiudicet in prouisione vt constat ex decis. Putci §. 3. num. 4. & §. lib. 2. & decis. 25. lib. 3. & approbat in quadam

quidam decif. pro Tolet. parochial de Huerta. 22. Maij. 1589. coram D. Maucio. quam refert Garcia 5. p. de benef. cap. 1. num. 669. Sed ad hanc notitiam cauilibet mensis est mentio necessaria faciendi. Ergo, &c.

5 Nilominus probabilis existimo solum pro beneficiis vacantibus in mente referuato esse mentionem mensis faciendam; quia solum de hac vacatione mentio in dicta reg. cauetur, vt considerari conitabit. Præmissa enim Pontifex reservationem beneficiorum omnium, quorum vacatio illis octo mensibus contingit, & nulla facta mentione de vacatione contingente in mensibus ordinariis, subiungit de dictis beneficiis tunc vacantibus dispositiue mentionem fieri de mente in quo vacauerint. Ergo solum præcipit mentionem faciendam mensis pro beneficiis vacantibus in illis octo mensibus referuatis, & non pro beneficiis vacantibus in mensibus ordinariis, quorum vacationis nullam fecerat mentionem: sic pro maiori parte firmant Rotæ auditores apud Puteum decif. 53. lib. 2. & tradit Garcia 5. part. de benef. cap. 1. num. 657. & restatur pluries à Rotâ fuisse decisam.

6 Neque vigent fundamenta contraria. Ad fundamentum primæ sententiæ admittit expressionem mensis caueri, ne ordinario præiudicium inferatur, quod præiudicium esto non inferatur, si supponamus beneficium vacasse in mente referuato, ac cum hæc suppositio non confert, si solum beneficii vacantis mentio fiat, absque expressione mensis in quo vacauit, manifestè præiudicium ordinario inferri potest ex tali prouisione. Decisio veto Tiraloni, Acaram, non fauent Gonzalez cum non loquamur de beneficiis vacantibus in mente referuato, sed de beneficiis alias referuatis, vt ipsemet dixerat dict. gloss. num. 29. & notauit bene Garcia sup. num. 657. ff. Ad secundæ sententiæ fundamentum, & quatenus est nobis oppositum, respondet admittendo ex reservatione octo mensium facit quatuor ordinariis relinquit, sed neq. inde inferri de iis relictis, & ordinariis concessis mentionem fieri præcipi, imo potius contrarium inferri, siquidem dicit Pontifex de dict. beneficiis tunc vacantibus, mentionem mensis fieri debere, cum autem solum dixerat de beneficiis vacantibus in mensibus referuatis, nequaquam de ordinariis intelligi potest. Alias si de omnibus beneficiis omni tempore vacantibus vellet Pontifex fieri mentionem, non apponeret participium illud restrictiuum dictis beneficiis, neque adverbium illud tunc vacantibus, sed absolute diceret de beneficiis quocunque tempore vacantibus mentionem dispositiue fieri debere. Neque etiam viget vltima ratio desumpta ex sine expressionis mensis. Nam illa faciendi est, ne Pontifex ordinariis præiudicet in prouisione, qui suis sufficienter obtineatur, si vacatio in mente referuato exprimitur. Nam inde clarè inferitur, cum non exprimitur, non esse beneficium referuatum.

7 Rursus est difficultas in quibus impetrationibus, concessioibus, & gratiis faciendi est huius mensis expressio, & in quibus non est necessaria.

Breviter respondeo faciendam esse, quoties beneficium vacans in mente referuato obtinetur, vt dicit prædicta regula. Idem in supplicationibus, & concessionibus, gratiarum. Vnde si prima prouisio nulla fiat, eo quod mensis expressus non fuerit, & deinde secunda obtinetur, in ea debet mensis exprimi. Quia illa est vera beneficii prouisio, & Pontifex cauet in supplicationibus, seu concessionibus gratiarum mentionem mensis dispositiue fieri. Puteus decif. 44. lib. 1. Rota decif. 476. num. 4. lib. 3. part. 3. Interf. Gonzalez gloss. 32. num. 20. Garcia 5. p. de benef. cap. 1. num. 660. Notanter dixi exprimendum esse mensis in obtentione secundæ gratiæ, quando in prima non fuit expressus: nam in prima est nullus mensis expressus fuit, non est opus in hac secunda, quæ est reformatoria primæ, mentionem mensis fieri, quia hæc secunda solum est ad reformandos defectus primæ: sic autem relatis docet Gonzalez num. 41. & 42. Garcia num. 678.

8 Secundo exprimendus est mensis in gratia, si neutri; quia est vera gratia, & beneficii concessio ad vitandas lites. Puteus decif. 48. num. 1. lib. 1. Gonzalez num. 21. Garcia num. 659. & restatur sic fuisse à Rotâ decisum.

9 Tertio exprimi debet, siue beneficium vacauerit de iure, siue de facto: quia quocunque modo vacet, est vera vacatio, & vera beneficii concessio, vt superius diximus. Gonzalez n. 25. Garcia n. 662.

10 Quarto debet exprimi non solum in beneficiis vacantibus per obitum, sed quomocunque vacent, si ob modum vacationis alias non sunt referuata, quia Pontifex præcipit mentionem facere de mente, in quo beneficia, de quibus locutus prius fuerat, vacauerint, vt constat ex illis verbis. Volens in supplicationibus de doctis beneficiis, &c. At loquutus fuerat de beneficiis quomocunque vacantibus. Ergo quomocunque vacent, est mentio necessaria faciendi. Gonzalez gloss. 32. à num. 26. & seqq. Garcia 5. part. de benef. cap. 1. num. 665. & tenet Rota in vna Titulonen. canoniceatus Maij 24. 1601. coram Illustrissimo Cardinali Pamphilio, cuius meminerunt Gonzalez & Garcia supra. At prædicti doctores aduertunt, esto ex iure dicta vera sint: ex stylo tamen datae vetus esse contrarium,

cum in ea solius beneficii vacantis per obitum mentio mensis fiat, non autem si vacet per affectationem alterius, per matrimonij contractum, per ingressum religionis, per pñationem, &c. & cum Pontifex absque hac mensis expressione beneficium sic vacans supplicanti confert, ordinario censetur velle in collatione præuenire, si forte in mente ordinario vacauit.

11 Non est autem necessaria expressio mensis in beneficiis aliis referuatis, quia hæc sub hac regula non continentur, neque eorum prouisio ordinario præiudicare potest. Puteus decif. 25. lib. 3. Rota decif. 122. lib. 1. par. 3. dinesf. Mandol. de signatura grat. tit. de prouisionibus, vers. an autem in impetratione. Gonzalez gloss. 32. à num. 39. Garcia 5. p. de benef. cap. 1. num. 668. Secundo non est necessaria in beneficiis vacantibus per resignationem, siue resignatio sit condicionalis, siue pura, & simplex. Quia de iis non loquitur regula. Nam si beneficia vacant per resignationem conditionalem, vacant in curia, & sic non potest ordinario eorum prouisio competere, & ex alia parte Pontifex ignotare non potest, quando eorum vacatio contingat, cum sit in illa hora, & puncto quo resignationem admittit, & gratiam signat, vt bene notauit Garcia num. 669. Gonzalez num. 45. Si vero vacant per simplicem resignationem, excluduntur à regula, ibi: alias quam per resignationem. Tertio non est necessaria in beneficiis iuris patronatus laicorum; quia hæc non sunt Pontifici referuata, sed quolibet mente ordinarius collator institutionem facere potest. Adde regulam non de institutione, quæ necessaria est, sed de electione, presentatione Ecclesiastica, & collatione loqui. Garcia num. 669. & 670. Quarto non est necessaria in subrogationibus quoad beneficium litigiosum. Tum quia hæc subrogatio non potest ordinario præiudicare, cum ipse impeditur iuribus illa faciendi quolibet mente cap. 1. & 2. vt lise pendente in 6. & clement. 1. eodem titulo, ac prouide regulanda est, sicuti beneficium aliis referuatum. Tum quia subrogatio quoad beneficium litigiosum in locum defuncti non est beneficii vacantis absoluta collatio, sed est quedam iuris, quod defunctus habet translatio. Sic Garcia 5. p. de benef. cap. 1. num. 672. Quinto non est necessaria hæc mensis expressio in prouisionibus, & gratiis ab Episcopis, aliisque ordinariis factis. Tum quia hi præsumuntur notitiam mensis habere. Tum & præcipue quia regula loquitur de narratiua faciendi Pontifici, ne ordinariis in prouisione præiudicet. Gonzalez gloss. 32. à num. 46. Garcia 5. p. de benef. cap. 1. num. 674. Sexto non est necessaria in beneficiis ob deuolutionem impetratis; quia horum prouisio ordinario competere non potest, cum ob eius negligentiam superiori sit aduocata, & sic cessat finis, & causa exprimendi mensis: deinde beneficia deuoluta non vacant de nouo, sed retenta priori vacatione impeditur ordinarius ob negligentiam ab illorum prouisione, & succedit loco illius superior, sed quoties beneficium non vacat in mente referuato, non est ordinario mentio mensis faciendi. Ergo neque in beneficiis deuolutis erit necessaria, cum illa Pontifex non prouideat ob vacationem, sed ob subrogationem. Gonzalez gloss. 32. in fine. Vt autem hæc mensis expressio nunquam omittatur, annullauit Pontifex gratias aliter factas ibi, aliquam gratiam nullas esse, nullas inquam esse iure, quia hoc indicat verbum esse, quod est de præfenti; alias diceret annullandas, & tradit Tiraquel in leg. si nunquam, verbo reuertatur, de reuocandis donat. num. 180. cum seqq. & in præfenti. Gonzalez dicta gloss. 32. num. 35.

S. VI.

Qua ratione derogantur obstacula reservationis.

- 1 Expenduntur verba regula derogantis obstacula, & impediuntur reservationis.
- 2 Primo derogatur consuetudo optandi, ne obstat reservationi. Et que sit hæc consuetudo.
- 3 Duplex est ius optandi, præter ius, & contra ius. Et quæ horum sit differentia.
- 4 Quod tempus ad optionem requiratur.
- 5 Quibus personis competat optio, quique censetur antiquior ad effectum optionis.
- 6 Omnes consuetudines optandi de medio tollit regula.
- 7 An impedita optio de beneficiis referuatis impediatur in præbendis, & præsentibus annexis. Subdistinctione respondetur.
- 8 Non datur optio in præbendis doctoribus, magistratibus, & penitentiariis.
- 9 Si optasti beneficium, quod optare non poteras, obligaris illud dimittere. Et qualiter possis ad dimissum redire.
- 10 Derogantur privilegia, & indulta Apostolice contraria supra dictæ reservationi mensium.
- 11 Qua verba addat Pontifex ad maiorem reservationis firmitatem.

Denique volens Pontifex hanc suam reservationem ab omnibus impediens liberare, statuit minime aduersus